



502.

12
LECTORI BENEVOLO
SALUTEM PLURIMAM DICIT,
EUNDEMQVE
AD

**ORATIONEM
INAUGURALEM**

AMPLISSIMI HONORUM THEOLOGICORUM
CANDIDATI

REVERENTER, ET OFFICIOSE,
INVITAT

GOTTLIEB VVERNSDORFIUS,
SS. Theol. Doct. & Prof. Publ. Ordin. Ædis
OO. SS. Præpositus, Alumn. Saxo - Electoral.
Inspector, Collegiique sui h. t.
DECANUS.



Anc Ego vel gratiam, vel pietatem, *Torgaviae* Urbi, quæ me, quum vix excessissem ex ephēbis, gremio suo excepit, totumque triennium optimis disciplinis, ac præceptionibus imbuir, debere me arbitror, ut, quando de Antistite sacrorum in eadem, publicum doctrinæ testi-

monium a nobis obtenturo, quadam ex hoc loco dicenda sunt, aliqua, de Almæ illius in negotio religionis vel studiis, vel fortunis, pro instituti ratione exponam. Namque ut tres potissimum sint urbes, quæ reliquas per Saxoniam, & Misniam antecellunt, *Dresda*, *Lipsia*, *Vittembergæ*, quarum illa Regis, ista commerciorum, ac literarum, hæc Musarum, ipsiusque adeo religionis, sede potissimum celebratur; in causa tamen assertæ veritatis *Torgavia* priores illas aliquo post se intervallo relinquere, ad *Vittembergæ* vero felicitatem proxime accedere videtur. Magna, fateor, *Dresdæ* Urbis auctoritas, magnum nomen est, quod non solum amœnitatis situs, ubertate soli, magnificentia Regiæ, splendore ædificiorum, robore munitionum, gaudet, sed & labantem subinde religionis causam consiliorum prudentia, & fortitudine sustentat. Parum tamen absuit, quin huic ali- quod in ea periculum constaretur, cum, quo tempore occulti Calvinistæ in Saxonia regnabant, *Consensus*, ut vocatur, *Dresdensis* adornaretur, qui verbis eo usque insidiosis, ac lubricis, est conceptus, ut cautis etiam Doctoribus per eundem verba fuisse data, historiæ testentur. (a) *Lipsiæ* vero, literis alioqui, ac commerciiis florentissimæ, Seculo abhinc secundo, ista labes, focordia docentium, est aspersa, quod *Interim* Lipsiense, seu *Mi-*

(a) Vid. D. Lucas Osiander *im Bericht was vom Consensu Dresd. zu balten sey*; it. D. Hutterus in *Conc. Conc. Cap. III. p. 162.*

Minus (b) in eadem conflatum est, quo ipso tanta malorum, & certaminum ilias in Ecclesiam est invec̄ta, ut, si fundi Lutherani calamitatem dixerim, nihil a vero alienum pronuntiarim. Quin & *Vittembergæ*, (nec enim id est celandum,) tum temporis subinde quædam sunt edita, quæ vel ad *Pontificis* palatum erant composita, vel *Calvino*, hujusque sociis, patrocinabantur. Major Urbis *Torgaviæ* felicitas fuit, quod ejus intra muros cum Musæ olim, *Vittembergæ* ob pestilentiam exules, hospitium invenerunt, tum Libri potiores Symbolici Ecclesiarum nostrarum, vel primum concepti, vel sollicitius digesti, ac plenius elaborati fuerunt. Cum enim Carolus V. Rom. Imp. anno supra sesquimillesimum 30. comitia indixisset Augustæ, in hisque dissidentium de religione sententias placide se auditorum clementissime promississet, visum est ordinibus Protestantium, Saxoni cumprimis, summam doctrinæ, Lutheri opera emendatæ, ac hucdum traditæ, scripto comprehensam Cæsari exhibere. Quapropter JOHANNES DUX Saxonix, ac Princeps Elector, qui ob invictum animi robur, in tuenda religione ostensum, CONSTANTIS, & *Confessoris* nomen accepit, scripsit ad Academiæ hujus Theologos, (c) eosdemque sibi præsto esse jusfit *Torgaviæ*, Dominica Oculi, deliberaturos secum de religione, cujus formulam quandam concipere debeant, ac secum afferre. Præfuit t. t. ordini D. Justus Jonas, qui cum Ecclesiarum, Scholarumque, statum inspecturus, ac ordinaturus abesset, proptere domum a Luthero, peculiaribus literis, revocatus fuit. Etsi vero Præsidis alioqui est, ordinis sui negotia curare, eidemque stylum, sicubi res postulet, commodare, negarunt tamen Collegæ, posse quenquam rectius, apri-

a 2

usque

- (b) Vid. Magdeburgici von den fürnehmsten Adiaphoristischen Irrthümern. lit. D. 3. sq. it. Saxonici im endlichen Bericht. p. 23. 24. Flacius in der Antw. auff's Anschreiben der beyden Univers. lit. D. 4.
(c) G. Cœlest, in Hist. Comit. E. 25.

usque summam doctrinæ, ab eo repurgatæ, tradere, quam Lutherum ipsum, eaque de causa rem omnem ejus arbitrio permiserunt. Neque vero, Collegis hac in re obsequi, grave Lutherò fuit, qui primas Apologiæ lineas domi duxit, (d) mox una cum Collegis Torgaviam abiit, qua in urbe perclementer a Principe exceptus XVII. illos *articulos* scripsit, qui etiam nunc ab urbe, in qua sunt conditi, *Torgenses* dicuntur, Confessionis autem illius, quæ Augustana dicitur, prima, & præcipua materia fuerunt. (e) *Articuli* enim cum *Confessione*, quod ipse mutua collatione deprehendi, tam accurate consentiunt, ut Philippus digesturus eos, ac meliori ordine complexurus, nihil sollicitius curasse videatur, quam ut verba, & sententias Lutheri perpetuo retineret. Hæc igitur prima *Torgavie* laus est, quod illius Confessionis, quæ repurgatæ doctrinæ summam continet, putidasque adversariorum calumnias extinxit, quæ pacem, qua nihil carius, nihil sanctius esse potest, religioni conciliavit, quæ denique omnium, quæ profitemur, recentiorum symbolorum caput, ac princeps est, fundamenta, Saxonis auspiciis, intra illius pomeria, sunt jacta. Cum deinceps proditione, ac perfidia illorum, qui ejus custodes, ac vindices esse debebant, mutaretur, imò corrumperetur illa, ex eoque infinita propemodum, inter socios illius, certamina orirentur, altera hæc ei felicitas evenit, ut in *Formula Christi. Concordiæ* solenniter declarata ab adversariorum insidiis tuta præstaretur. Miser procul dubio cœtus divini, ipsiusque adeo religionis, status erat, quum, mortuo Lutherò, & promulgata *Interreligionis* formula, velut quodam Eridis pomo projecto, lites ex litibus, & controversiæ e controversiis nascerentur. *Flacius* enim P. O. ipsam hominis corrupti *substantiam* esse contendebat:

(d) Chytræus in Hist. A. C. p. m. 44.

(e) T. V. Altenab. f. 14. sq. Chytræus, & Cœlestinus l. c.

bat: *Wigandus*, *Heshufius*, alii *accidens* esse, ajebant. *Serigelius*, & *Philippistæ*, hominem a lapsu sese quodammodo ad gratiam DEI oblatam propriis viribus applicare posse docebant, *Orthodoxi* rectissime negabant. *Osiander* Christum, secundum divinam tantum naturam, *Stanckarus*, secundum humanam tantum naturam, nostram esse justitiam, delirabant. *Major* B. O. ad salutem necessaria: *Amsdorfius*, ad salutem pernitiōsa esse docebat. *Antinomi* legem ab Ecclesia proscriptam esse cupiebant: *Orthodoxi* retinendam, & suo tempore ac loco urgendam esse, putabant. *Philippistæ* Evangelium concionem esse pœnitentiæ opinabantur: Alii negabant. *Silberseblag*, *Pouch*, alii, Electionem universalem esse dicebant: *Chemnitius*, ejusque *socii* negabant. *Germani A. C.* *socii* corpus & sanguinem in S. C. sub Symbolis panis & vini vere adesse, distribui, ac sumi contendebant: *Crypto-Calvinistæ*, *Lipsiæ*, *Dresdæ*, *Vittembergæ*, negabant. *Interimistæ* tempore confessionis in ritibus cedendum esse adversariis putabant: *Flacius*, & *Orthodoxi* negabant. Quibus quidem certaminibus cum prior Dei cœtus miserrime laceraretur, & offenderentur infirmi, & periculum esset, ne altercando amitteretur veritas, Saxoni AUGUSTO hanc mentem inspiravit DEUS, ut asserendæ veritatis, & redintegrandæ concordiæ, idoneas rationes iniret. Qua in sententia non parum eum confirmavit *Georgius Ernestus* (f) Princeps Hennebergicus, qui & consilium ejus laudavit, & ad illud exequendum, quantum posset, prolixè ac liberaliter obtulit. Misere igitur falluntur, & ignorationem rerum gestarum produnt, qui omnem conditi Symboli invidiam in Theologos translaturi, consilium ejus adornandi ab his profectum, libellumque ipsum Principibus *suppositum* esse cum *Thomaso* arbitrantur. Ipse AUGUSTUS, in quadam ad *Elisabetham*,

a 3

(f) Hutter. in C. C. cap. IX. p. 273. & XI. p. 304.

betham, Angliæ Reginam, epistola, quum de miserrimo Ecclesiarum nostrarum, ante Formulam Concordiæ, statu exposuisset: In hoc, inquit, multa piorum audita sunt suspiria & Principes veritatis, atque pacis amantes remedium bis tantis malis afferre non semel conati sunt. Quamobrem pio, & salutari Principum, Veritatis, & quietis Christiæ amantium, studio, consilia, & sententiæ Theologorum doctrina, pietate, & vitæ innocentia præstantium, exquiri ceperunt. (g) Quibus alio loco Selneccerus (h) adstipulatur, dicendo: Wir danken dem frommen Gott, daß, da fast alle Theologi (gar wenig ausgenommen) geschwiegen, und durch die Finger gesehen, er aus der hohen Obrigkeit auch Theologos hat machen wollen, wie er denn unsers theils unsere liebe hohe Obrigkeit erwecket, und geführet hat, daß sie durch wunderliche Mittel hinter den Betrug gekommen &c. Saxo igitur, ut destinata perficeret, Conventum quendam Lichtenburgi, propter Albim, d. XIV. Febr. A. R. S. c1b LXXVI, indixit, cui XII. iique præcipui, Saxoniæ Doctores interfuerunt. Hi omnes, priusquam sententiam dicerent, gratias egerunt DEO, quod consiliū restituendæ pacis in Ecclesia suggessisset Augusto. Hinc, post aliquem primæ sententiæ accisum, quum tandem D. Salmuth, Sup. Lips. dicendi initium fecisset, submonuit, duas esse vias redintegrandæ concordiæ, alteram, Synodum, alteram, idoneam quandam formulam, qua quidem ad subscribendum proposita, singulorum inclinationes, & studia queant explorari. Priore, successuram rem esse negavit; posteriori insistendum esse non obscure suggesit (i) D. Crellius, Theol. Vitemb. iussit, ut quis Augustanæ Confessioni, huiusque Apologiæ, Art. Smalcaldicis, & Repetitioni

(g) Vid. Peiferi Epistolæ a Gottero editæ. p. 39. 49.

(h) In der kurtzen Erinnerung vom Christl. Concordien-Buch I. B. 1.

(i) Hæc, & sequentia, notavit Herm. Kregelius in Act. MS&is Conventus Lichtenb.

tioni fidem obstringere adigatur. Id si fiat, secururam esse Concordiam. Namque ut hi libri non sint norma doctrina, posse tamen eos esse normam Confessionis. D. Harder, Pastor, & Theol. Lips. censuit, recipiendam esse regulam loco Aug. Confessionem, Apologiam, Articulos Smalcald. Repetitionem, utrumque Catechismum, & alios Divi Lutheri libros. D. Max. Moerlinus, Sup. Coburg. normam quidem auctoritatem solis SS. literis relinquendam esse putavit: ceterum ad Scripturam, A. Confessionem, Apologiam, Art. Smalcaldicos, & Catechismos Lutheri, dissentientium scripta examinari debere, ut quid in iis verum, quid falsum sit, pateat. Dan. Grefer, Sup. Dresd. ut vir erat antiquis moribus, ita relictis omnibus auctor fuit, candide ageretur! nam nec Numburgico, nec Dresdensi Conventu, quicquam profectum esse: alioqui periculum esse, ne valde commoveatur Princeps, cujus ipse sic exploratum habeat ingenium, ut confirmare ausit, nulla eum re magis quam candore, ac integritate capi. Generatim monebat, corrigi oportere, quae exteri Doctores desiderent in Saxoniciis. Corpus doctrinae Philippi non habendum esse pro norma: Jacobum Andrea, Chemnitium, Marbachium, alios, esse in consilium adhibendos &c. D. Selmeccerus, Theol. Lips. gravem imprimis sententiam dixit, censuitque 1.) Corpus Philippi non amplius habendum esse pro norma, utut possit adhiberi ad methodum in docendo. 2.) Inhaerendum esse primae, minimeque mutatae Confessioni A. Apologiae, Art. Smalcaldicis, Catechismis Lutheri, & Commentario ad Galatas. 3.) Abolendum esse blasphemum scriptum, quod sub Stereomatis nomine prodierit Vittembergae. 4.) Non esse provocandum ad Consensum Dresdensem. 5.) Sub Flacianorum nomine non esse exagitandas Sveviae, & Saxoniae infer. Ecclesias. 6.) Impediri Concordiam, per quaestiones nove excitatas de filii Dei

Dei locali, & circumscripta sessione ad dextram Patris.
 7.) Abstinentum esse a criminationibus, & obreftationibus,
 cujusmodi sibi fuerint hucdum a Vittembergensibus
 tolerandæ. 8.) Respiciendam esse Formulam Svevo-Saxon-
 nicam, & videndum, annon omnibus persuaderi possit,
 ut eam recipiant. Id si fiat, gratulandum esse Ecclesiæ,
 Deoque agendas gratias, *da solte man Te DEUM Lau-*
damus singen, ob rem nimirum e sententia confectam.
D. Mirus Theol. Dresd. negavit, cudendum esse quid novi,
 (*man solle nichts neues machen*;) sed potius inharendum
 esse Scripturæ, tribus præcipuis, & Oecumenicis symbolis,
 Confessioni August. hujusque Apologiæ, Articulis Smal-
 caldicis, & Catechismis Lutheri. De Repetitione Philippi
 rem committendam esse arbitrio Principis &c. In asse-
 renda & examinanda doctrina thesin, & antithesin, adhi-
 bendam esse. Corpus doctrinæ esse pomum Eridos, pro
 norma igitur habendum non esse. *M. Cornicelius, Sup. Hay-*
nenfis, monuit, non temere quenquam inter Flacianos re-
 jici oportere, (*man solle nicht mebr mit Flacianern um sich*
werffen) quum fere Orthodoxi hoc titulo onerentur. *M. Ly-*
sibenius, Concionator Aulicus, de obstaculis Concordiæ verba
 fecit. *M. Jageteufel, Sup. Misnensis*, monuit ad refarcien-
 dam Concordiam, amnestia opus esse. *M. Jo. Schürzius,*
Sup. Annabergensis, oravit, ne, quod svaferat *D. Crellius*, Repe-
 titio Philippi ad A. Confessionem adjiceretur. *M. Glaserus,*
Ecclesiastes Dresdensis, docuit: causas dissidiorum fuisse
 1.) quod Corpus doctrinæ Philippi fuerit vendidatum pro
 norma. 2.) Stereoma. 3.) Catechismum Vittembergens-
 fem. 4.) Consensum Dresdensem. 5.) Præposteram defen-
 sionem Philippi. 6.) Crebram mutationem August. Con-
 fessionis. 7.) Quod Vittembergenses G. Majorem, ejusdem-
 que sententiam de necessitate OO. Post. pertinacissime
 defenderint. Et 8.) omnes a se dissentientes inviso
 Fla-

Flacianorum nomine compellarint. Svasit igitur ne Corpus doctrinæ deinceps habeatur pro norma, Selnecceri vero consilium de recipienda formula Concordiæ *Svevo-Saxonica* &c. laudavit. Idem probavit *Saxo*, qui, quo tanto facilius exequeretur illud, a præcipuis sociis id sibi dari voluit, ut idoneum quisque Theologum mitteret, qui deliberationibus de pace, ac Concordia interesset. Nec id fuit negatum. Eodem igitur Anno, mense *Majo*, Torgaviæ convenerunt Theologi, *D. Nic. Selneccerus*, Saxonicus, *D. Christoph. Cornerus*, & *D. Andr. Musculus*, Brandenburgici, *D. M. Chemnitius*, Brunsvicensis, *D. David. Chytraeus*, Mecklenburgicus, ac denique *D. Jac. Andrea*, Wurtembergicus, qui mensem integrum, cum dimidio, isti negotio vacarunt, (k) Facile autem inter Theologos convenit, novam non esse scribendam vel Confessionem, vel formulam, sed retinendam esse illam, quæ a Svevicis concepta, inferioris autem Saxoniarum Doctoribus laudata sit, ac recepta, eandemque recensendam, ac enatis controversiis studiosius accommodandam esse, sic enim futurum, ut reliqui tanto promptius ipsi accederent, quippe a pluribus jam recognitæ, ac probatæ. Sicut igitur ex articulis Lutheri Torgensibus Confessio A. est coorta, sic declaratio Svevo-Saxonica fundamenti loco substrata est libello Torgensi, quippe qui hoc uno ab illa differt, quod hinc inde uberius declaratus, & sollicitius conceptus fuit. Hæc etiam procul dubio causa fuit, quod alii *D. Jac. Andrea*, alii *D. Mart. Chemnitium*, stylum Formulæ Conc. moderatum fuisse perhibent, quia nempe in libello Torgensi eadem illa Confessio, quæ in Svevis primum ab *Osiandro*, & *Bidembachio*, conscripta, deinceps vero *Andrea* opera cum Brunsvicensibus communicata, & a *Chemnitio* laudata fuerat, continetur, etsi revera nec *Andrea*, nec *Chemnitius*, auctor libelli Torgensis fuerint, quum in eodem fingendo, ac refingendo omnes elaborarint. Rem vero non caruisse difficultatibus, hinc patet,

b

quod

(k) D. Polycarp. Lyser sen. in conc. fun. El. Augusti p.169.

quod parum absuit, quin *D. Musculus*, a nescio quo, sub-
 offensus, ab isto se negotio removeret. De quo Dan. Grefe-
 rus: (1) *zu Torgau hat Satan sein Heyl versucht, und durch es-
 tliche Turbatores Unfriede stiften wollen, also, daß auch Mu-
 sculus dermassen erzürnet wurde, daß er auffstunde, und län-
 ger auff dem Conventu nicht bleiben wolte, sondern hatte für,
 er wolte davon geben. Aber den Turbis ward gewebret, und
 Musculus zu bleiben erbeten, daß, GOtt Lob! alle Dinge zum
 guten und friedlichem Ende gerietben. Sic igitur Saxonis Au-
 gusti auspiciis, liber ille, qui solida Declaratio articulorum con-
 troversorum inscribitur, Torgavia est confectus. Nam quod
 ad Epitomen attinet, hæc, utut Declarationi præmissa sit,
 biennio tamen recentior est, nec Torge, sed Berga in cœno-
 bio, prope Magdeburgum, contexta. Incredibile vero di-
 ctu, quantum utilitatis ab ista Declaratione ad totum, qua
 Sacris emendatis utitur, Christianum Orbem, progressu tem-
 poris, redundarit. Præterquam enim, quod Calvinistæ, qui ad
 tempus Lutheranos se esse mentiti fuerant, detecti, functio-
 nesque suas germanis A. Confessionis sociis relinquere sunt jus-
 si, multæ etiam Sectæ, utpote Antinomorum, Interimista-
 rum, Adiaphoristarum, Syncretistarum, Flacianorum, Osiandri-
 starum, Majoristarum, Amsdorffianorum, aliorumque per ean-
 dem penitus sunt extinctæ. Male id habuit Cacodæmonem,
 hujusque instrumenta, a quibus piissimus liber varie appeti-
 tus, auctores vero ejus indignissimis calumniis onerati fue-
 runt. Hinc merito Nic. Bergius (m) contra Formulam Conc.
 inquit, non tantum Calviniani, sed & Syncretista, & quic-
 quid Novatorum est in Ecclesia, tela dirigunt venenata: verum
 clypeo veritatis excepta, & in adversarios felici successu reje-
 cta. Omnium autem maledicentiam superasse censendus est D.
 Thomasius Jctus Halensis, teste Apologia ad calcem Dissert. de
 Jure Princ. circa Controv. Hale 1696. Hæc Bergius, qui ne in-
 juriam*

(1) In Vita Sua lit. M. 4.

(m) In Notis ad Censuram cleri ad omnes Regni Sveciæ Episcopos
 Holmiæ 1697. pag. 16.

juriam *Halenſi* feciſſe videatur, liceat ex eadem illa *Apolo-*
gia (n) unicum locum adducere, quo pateat, quanto in libel-
 lum multo ſanctiſſimum, utiliſſimumque, odio ſtimuletur.
Ich halte, ait, *die Form. Conc. für ein ſo wohl denen Fürſten,*
und Obrigkeiten, die ſelbige angenommen, als auch Deren Land
und Leuten höchſtſchädliches, und dieſelbe vielmehr ruiniren-
des Buch. Unterſtehe ſich nur ein Evangelischer Fürſt dieſes
Buch, oder nur den Exorcismus, abzuschaffen, und ſebe wie
hübſch ſeine Cleriſey das Volck wider ihn in ihren Predigten er-
regen wird, oder erwarte gar, wie er unvernunthet in der be-
ſten Blüthe ſeiner Jahre dahin ſterben wird. Mirum vero,
 hominem, professione Christianum, tam impudenter ca-
 lumniari, vel ſana mente præditum, tam turpiter dare ſe po-
 tuiſſe, ut ea in gratiam Reformatorum, quibus ſe indigni-
 ſimis aſſentationibus venditat, eructaret, quæ ipſorum Refor-
 matorum teſtimoniis refelluntur. Poſtremis enim verbis pro-
 cul dubio reſpicit *Christianum I. Sax. Elect.* quem, ob *Form. Con-*
cordie, & Exortismi abrogationem, veneno ſublato eſſe inſi-
 nuat. Sed mendacii eum convincit Reformatus Scriptor,
Eberh. Reidanus, (o) quem Vir. Cl. *Dion. Voſſius* latine reddidit,
 his verbis: *Per idem tempus Christianus Saxonia Elector finivit,*
juvenis expectationis summa, niſi quod immodicus potandi. ---
Septimo decimo Cal. Febr. Dux Joannes Caſimirus, Comes Pala-
tinus, fato ſuo fungitur. Utrumque magna adverſus Pontifici-
os, ac domum Auſtriacam, animo voluiſſe conſtabat, niſi prope
mors prævertiſſet. Incitarat huc Saxonem Caſimirus. -- Non-
nulli, quod brevifſimo intervallo Princeps uterque, & opportu-
no Romanenſibus caſu, extinctus erat, de veneno ſuſpicari. Cujus
in Caſimiro nulla indicia notata. -- Saxonia Electorem haud du-
bie venenum rapuit, veniente in ſuſpicionem Swertſero, chymico,
cujus ille medicamentum, contra veterum Medicorum volun-
tatem, hauſerat. Nec multo poſt honeſtus Swertſero apud Caſ-
locus. Nempe quod commiſſis a Saxone in diata erroribus
 fuerat

b 2

(n) pag. 268.

(o) In Annal. Belgicis L. IX. fol. 233. ſeq.

fuerat tribuendum, id a *Reidano*, per suspicionem, veneno, a *Thomasio*, per calumniam, Formulæ C. & Exorcismi repudio, imputatur. Nunc etiam in vicina nobis Marchia id agitur, ut liber, totum, & amplius, seculum symbolari auctoritate nostra in Ecclesia gavissus, propalam, ac procul ambagibus, pristinae dignitatis gradu dejiciatur. Tempus autem ipsum aperiet, hoc, velut intergerino pariete, remoto, non solum Calvinismo, sed omnibus quoque aliis hæresibus & sectis, ad opprimendum puriorem DEI coetum, & extinguendam veritatem, aditum patefactum fuisse. Bene igitur fecerint Doctores, quos Deus traditi a se verbi vindices esse voluit, si deprecentur hos ausus, & Principi, *Suum cuique* tribuere se velle, profitenti, quid eo in consilio desiderent, & quantum per id ipsum non nostræ modo, sed ipsi quoque Reformatorum, religioni periculum consletur, demississime aperiant. Nec enim dubium est, quin suo tempore in cives Reformatos idem tentaturi sint Pontificii Principes, quod in subiectos Lutheranos licere sibi existimant Reformati. Rectius JO. GEORGIUS II. Elector Saxo, Divus, quantum huic symbolo veritas, quantum sanctimonia, quantum univèrsa Ecclesia deberet, intellexit. Elapso igitur seculo, anno *millesimo, sexcentesimo, octogesimo*, natalem ejus *Torgaviae*, quo Theologos *Lipsia, & Vitterbergæ*, evocaverat, non absque solemnibus ceremoniis, celebravit. Quod factum uti ad omnem posteritatis memoriam laudatur; sic istam quoque *Torgensibus* felicitatem gratulari habemus, quod ab illo tempore hujusmodi sacrorum Antistites, *Heidenrichios*, puta, *Lyseros, Himmelios, Hofmannos, Hofkunzios*, aliosque, sunt nacti, qui assertæ in Formula Concordiæ veritatis multo cum studiosissimi, tum tenacissimi fuerant. Ac horum quidem vestigiis insistit, quem nunc commendatum venimus, Vir *Maxime-Reverendus, Amplissimus, Excellentissimusque*, M. JO. CHRISTIANUS BUC CIUS, hucdum *Ecclesie Torgensis Diaconus, multo meritisissimus, nunc autem Pastor illius Primarius legitime vocatus, mox Epoborus etiam, auspiciis REGIS POTENTISSIMI, creandus.*

du. Nec enim alia de causa summos in Theologia honores obtinendi potestatem impetraturus ad nos comeavit, quam ut publico a Nobis testimonio ornatus suum in doctrina consensum publice confirmaret. Natus is est *Grafenbayne*, oppido alterum abhinc lapidem, nostra in Saxonia, sito, Patre CHRISTIANO, AVO GEORGIO, BUCKIIS, Ordinis Senatorii Viris, matre DOROTHEA, CHRISTOPHORI KOPPII, Consulis, de patria non male meriti, filia, honesta femina. Simulac licuit per aetatem elementa literarum in ludo patrio didicit, donec ejus Moderatori *M. Tobia Reibstatio* formandus datus fuit, a quo cum Latinis, tum Graecis literis non infeliciter est imbutus. Paulo post utriusque parentis obitum, anno superioris seculi sexto & octogesimo in hanc Urbem se contulit, integrumque annum *M. Jo. Peiskeri*, & *M. Davidis Winteri*, fideli institutione est usus. Cum vero hic posterior ad gubernationem scholae *Torgensis* honestis conditionibus evocaretur, Nostrum eo secum adduxit, qui ab illius latere nunquam discessit, eidemque, nec non *Ruperto*, & *Rosteußbero*, qui una coetui scholastico praeerant, discendi studium prolixè approbavit, *Winterum* ut in gubernatione lycei, sic in voluntate Buccium javandi, secutus est *M. Abrahamus Ziegkius*, qui excitandis, poliendisque, ingeniis natus, tam praclare meruit de Nostro, ut, se plurimum ei debere, etiam nunc gratus profiteatur. Cum sibi satis preparatus ad studia in Academiis videretur, anno illius seculi XCIII. Rectore t. t. Magnifico *D. Job. Deutschmanno*, Theologo aetate, doctrinaque gravissimo, nomen suum inter Cives Academiae est professus. Neque tamen hic diu commoratus fuit, sed humanitate *D. Andreae Petermanni*, Medici apud Lipsienses primarii, qui suis eum liberis Praeceptorem destinaverat, pellectus, Lipsiam abiit, ibidemque integrum annum magna innocentiae, ac probitatis laude, vixit. Linguarum enim, quæ Oriens utitur, cognitionem *M. Schieferdeckeri* opera confirmavit non parum: Notitiam Rerum

naturalium a Celeberr. *D. Jo. Cypriano*, Historiarum, a *D. Thoma Ittigio*, immortalis famæ Theologo, accepit. *D. Jo. Guntherum*, Theologum ingenuum, ac veterum vestigiis infistentem, qui bene concionandi rationem privatim tradebat, in pretio habuit: *Joannem* vero *Benedictum Carpzovium*, seculi sui Chrysofomum, de quo nihil tam grande ac magnificentum dici a me potest, meritis quod ejus, famæque, respondeat, seu is in *Jesaiam* commentaretur, seu pro suggestu verba faceret, toties admiratus est Noster, quoties audivit. Neque sic tamen a charitate *Vittembergæ* potuit revocari. Itaque cum audisset, curante *M. Jo. Christ. Saueressigio*, Antistite sacrorum in patria, cujus singularem in se favorem maximopere prædicat, beneficio quodam suam sublevandam esse inopiam, Anno Sec. Sup. XCIV. huc est reversus. Relictis autem omnibus supplere illa studuit, quæ in cognitione, vel literarum, vel artium, deesse videbantur. Nec enim ignorabat, quanto ea sibi adjumento futura essent, ad disciplinam divinissimam perrecturo. Antiquitates igitur Latinas, Græcas, Ecclesiasticas, præeunte summo Polyhistori *Schurtzschleischio*: Sacras, *Dassovio*, Mathesin, *Knorrio*, Viris multo eruditissimis, Clarissimisque, imbibit. Tenacius vero adhæsit Socratici ingenii Viro, *Christ. Rörensæo*, Divo, de *Jure Nature*, ad ductum *Sam. Pufendorfii*, privatim exponenti, cujus etiam convictu per annos complures mecum usus fuit. Quo tempore *Candidati Nostri* moribus me vehementer captum, & familiaribus illius, ac oppido eruditis colloquiis, sæpe numero recreatum fuisse memini. Diviniorem porro disciplinam adeo non præterit, ut se totum ei dedisse visus sit. Doctorum igitur qui t. t. eandem immortalis Nominis sui fama tradebant, nunc vero laborum suorum fructum nunquam interrumpendum, capiunt in coelis, *D. Deutschmanni*, *D. Hannekeni*, *D. Neumanni*, scholis, & prælectionibus inter-

interfuit frequens, sub *Neumanni* autem praesidio, etiam ingenii vires publice, privatimque, disputando periclitatus fuit non semel. Illud imprimis gratulatur sibi Noster, quod venerandi Senioris, *D. Caspari Löscheri*, quem DEUS in familia, Collegiique nostri, decus ac solatium sospitet! scholas partim *theticas*, in Scherzerum, partim *Polemicas*, adversus Calvinianos, adire, in iisque proficere potuit non parum. Quum sibi tantum didicisse videretur, ut alios cum fructu docere posset, honores Magisterii petiit, & ab Ordinis Philosophici t. t. Praeside *Jo. Christ. Wichmannsbufo*, Celeb. Viro, facile impetravit. Mox ut ostenderet, dignum se esse, *Magistris* qui *Regentibus* adscribarur, in publicum prodiit, ac moderante *Rærenseo*, Divo, *Positiones Politicas de pace* Ao. XCVII. triduoque post dissertationem *de pace externa*, erudite scriptam, proprio Marte defendit. Quibus speciminibus cum dexteritatem docendi Collegio Sapientum probasset, scholas aperuit privatas, *Oratorias, Ebraeas, Chaldaeas, Syriacas, Etbricas, Politicas, Disputatorias, Homileticas*. Nonnullis etiam ex intervallo equestri Ordinis adolescentibus praefectus, praeter Latinas, Graecasque literas, *Geographiam, Matheſin, Historiam*, iisdem instillavit. Dedit & publica quaedam industriae documenta, utpote disputationem de *Ἀρχοντομοχία* circa sacra, de *Ποδολατρεία* Pontif. Romani, de *Concursu DEI*, & alia, quibus paucis abhinc annis *Epistolam de medietate trium Religionum* ad B. D. Neumannum adjecit. Ac illis quidem eo usque se Patribus commendavit, ut Praeside Ordinis *Jo. Bapt. Raſchelio*, Doctore Theologo, & Physico, in ipso Sapientum Collegio concordibus eorum suffragiis locum obtineret, quem ipse oppido erudita *de anno Ebraeorum Jubileo* Dissertatione vindicatum ivit. Denique parum abfuit, quin, se ad Vitae Academicæ rationes totum componeret, praesertim quod juvenum ad eum discendi causa venientium studiis ad id invitabatur. Verum, sapientissimo Numini aliter est visum, quod summorum ei
Viro-

Virorum voluntates conciliavit, Amplissimoque *Senatui Tor-*
genfi auctor fuit, ut Eum, nec opinantem, ad obeunda *Dia-*
coni munia evocaret. Quibus ipsis annos omnino XII. tanta
industria, dexteritate, ac fide perfunctus est, ut non modo coe-
tus, curæ suæ crediti, favore constanti, sed ipsius etiam RE-
GINÆ AUGUSTÆ, Dominae nostræ Clementissimæ,
cui, ob publicam, pivatamque salutem, longissimum vi-
tæ spatium devotissimis suspiriis apprecamur, prolixa
gratia sit usus. Neque vero non utriusque fructum
uberrimum, prorsusque exoptatum, tulit. Defuncto enim
sub anni superioris finem *D. Hofkuntzio*, Pastore Urbis
primario, & Antistite Sacrorum, non Senatus Oppidani
tantum, cujus in clientela est Sacerdotium Primarium,
sed ipsius quoque SERENISSIMÆ REGINÆ, iudicio di-
gnus est habitus, qui ei in Provincia succederet. Cui
quo majore deinceps auctoritate præesse posset, Majorum
etiam invitatus exemplis, potestatem sibi fieri nostro a Col-
legio voluit, summos in Theologia honores capeffendi.
Nec habuimus negandi causas. Cras igitur, quod felix
faustumque sit! destinata sibi Specimina orsurus, ab ho-
ra IX. *num Pietismus sit fabula?* gravi, copiosoque ser-
mone dispiciet. Cui ut *Magnificus* Academiae PRO-
RECTOR, *Illustrissimus* COMES, *Per - Illustris* L. BARO,
Patres CPti, & quotquot horum Ordinibus sunt *adscri-*
pti, una cum *Perquam Reverendis* Ecclesie Oppidanae *Mini-*
stris, Literarum Fautoribus, ac Studiosis, frequentes auscul-
tare dignentur, meo, & Collegii nomine, reverenter, ac per
humane rogantur. P. P. Dom. Latere A. R. S.
c 15 15 cc XII.

VITEMBERGÆ,
LITTERIS CHRISTIANI GERDESII.

94 A 7368


ULB Halle
002 928 582

3



10 17





12

LECTORI BENEVOLO
SALUTEM PLURIMAM DICIT,
EUNDEMQUE
AD

ORATIONEM INAUGURALEM

AMPLISSIMI HONORUM THEOLOGICORUM
CANDIDATI

REVERENTER, ET OFFICIOSE,
INVITAT

GOTTLIEB VVERNSDORFIUS,
SS. Theol. Doct. & Prof. Publ. Ordin. Ædis
OO. SS. Præpositus, Alumn. Saxo - Electoral.
Inspector, Collegiique sui h. t.
DECANUS.

